

Charissima mater Natura, &c, post angelos, à Deo perfectissima creata Creatura, tibi nunc honorem gloriam que exhibeo: agnosco siquidem & fateor, te matrem & imperatricem esse magni mundi, qui pro homine, tamquam paruo mundo conditus. Alte in primum mobile collocata es, vt manibus tuis circumvolutes, & pedibus inferius transmutes, idque, siue illud ex amore, vel econtra, fiat, vsque ad terræ loca infima: quæ omnia ex mandato Domini tui facis, quæ inde sinenter generando tam summas operationes perficis per altas tuas intelligentias, & indestructibiles substantias cœlorum, stellarum, atque planetarum: Vnde tam puræ res formantur, quod haud immerito omni tempore, matris & magistræ alicujus instar, inuocanda & amanda sies. Evidem fateor, quod nihil, sine anima, viuat, & quod illud, quod existit, & essentiam habet, à te, & virtute tua, respectu à Deo acceptæ potestatis ordinationisque, proueniat. Non eo inficias, quod totam massam regas, & elementorum materia tuo sub imperio ducatur. De illis namque primam sumis materiam, & ex cœlis formam: quamvis illa materia ab initio dissimili profsus modo commixta est, donec à te qualificetur & specificetur. Et tunc substantialem, quemadmodum etiam postea accidentalem formam induis. Tame[s] sapiens, vt etiam omnia tua opera per virtutem cœlestem, summeque operabiles formas, tam perfecto justoque ordine perficias, vt etiam à nemine mortalium mortificantur. Video te à Deo ita dotatam esse, vt etiam omnia, quibus homines indigent, manibus tuis subjecerit. Quatuor per te gradus fieri permisit, ex quibus primus saltim ESSE, & ESSENTIAM habet,

quales